









IN NVPTIAS  
 Nobilis & Generosi Viri, virtute,  
 doctriñaque præstantis, Ionæ à  
 Zeschau, Illustris. Saxonix  
 Principi Augusto Electori  
 &c. à consilijs,

CARMEN  
 ADAMI SIBERI  
 ET  
 Christophori Schellenbergñ  
 Annæbergensis.

ANNO M. D. LXII.  
 IX. CALEND. IVNII.

LIPSIÆ  
 Iohannes Rhamba excudebat.





IM NVP TIA 8  
Nobilis & Generosus Viri  
doctrinaeque praestantissimus, Joannes  
Nobilis & Generosus Viri  
Principis Augustae Elector  
Secus conatus

CARMEN  
AD AMI STEBERI

Christophori Schellernbergii  
Antisbergensis

ANNO M. D. C. LXXII  
IN CAENAE VINDI

LIBRI II

Joannes R. Schellernbergii

6





NOBILISSIMIS:

Ornatifs. Viro Ionæ à Zeschau,

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

AVGVSTO, ELECTORI ETC.

A CONSILIIS, SPONSO:

ET

Pudicissimæ Virgini Vrsulæ

à Taubenheim, Christophori à Taubenheim Eq. filiaë, Sponsæ.

Adamus Siberus.

NOBILITAS LITERATA.

TE, decus est ingens, IONA quod nomen auorum  
Annumerat claris nobilitate viris:

Nam quis honorati non ducere malit Achillis,

Quàm Therſita tuo sanguine foede genus?

Sed tibi quòd rectas pectus coluisse per artes

Sedit, & Aonijs inuigilare sacris,

Quòd pius es, Christumq; colis, patriamq; iuuantem

Consilio AVGVSTI nunc tenet aula Ducis:

Accedit titulis quis honor, mansura per æuum

Quæ stemma illustrat, quantaq; fama, tuum?

Qui cæras tantum iactatis, & arma, caballos,

Ius in aratores, imperiumq; viros:

Parcite, nobilitas vera est atq; vnica, laudem

Doctrina cultæ quæ pietatis habet.

A 2

Venus



## VENUSTAS PVDICA.

Quod sus baccato redimita immunda monili,  
Hoc mulier niueo pulcra pudore carens,  
Insignis facie est Helene, sed adultera, capta  
Hospite, non dubitat deseruisse virum.  
At formosa venit pariter, pariterq̄ pudica  
Laodamia tuam Protesilaë domum.  
Ergo columba dedit cui nobile nomen & Hæmus  
V R S V L A, formosa clara pudicitia,  
Sis huic cùm similis, cælo & velut Hesperus, inter  
Misniacas niteas conspicienda nurus:  
Quàm bene præstanti deducta pudica, venusta  
Ingenio nubis nobilitate viro?  
Scilicet ad similem adiungunt similem vsq̄, benigna  
Fata parem gaudent & sociare pari.

## CONCORDIA.

Omen inest si quod, velut est, in nomine, Sponse  
Omnia prædico Sponsaq̄ fausta tibi.  
An non sacrato IONAS sermone columba est,  
De qua Sponsa trahis tu quoq̄ nomen aue?  
Ergo vt Chaoniæ sunt vero in amore volucres  
Exemplum, inter vos sic erit vnus amor.  
Vnanimem turtur viues cum turture vitam  
Sponse columbe tua, Sponsa columba tuo.  
Vtq̄ croco smilax, se vitis vt implicat vlmo,  
Arctabit iunctos mutua cura duos.

Fœcundi



Fœcundi dabitur felicia pignora lecti,  
In vestroq; inerit nulla querela toro.  
Hoc mores vobis, hoc virtus spondet, & author  
Coniugij vero nunciat ore Deus.

## CHRISTOPHORVS Schellenbergius.

**C**Asta verecundis meditati carmina Sponsis,  
Cum numeris Erato da mihi plectra tuis.  
Plectra petita prius mihi sæpe, negata nec vnquam,  
In thalamum quoties qualiacunq; dedi.  
Nunc etiam tæda dum iungitur **VRVLA IONÆ**,  
Ne mihi, ne Sponso carmina pauca neges.  
Si modo Musa tui, quæ non postrema sorores  
Inter es Aonidas, cultor vterq; sumus.  
Ipse quidem primo sic est edoctus ab ævo  
Sponsus, & hoc illi nunc quoq; pectus inest,  
Vt nihil ingenuis præstantius artibus esse,  
Et preciosa magis munera nulla putet:  
Quàm quæ Thespiadum cultis nascuntur in hortis,  
Et Phœbo vates suppeditante ferunt.  
Mille quidem in donis, quæ sint dignissima sponsis,  
Aurea seu quisquam, gemmea siue dabit:  
In primis Erato tua dona expectat **IONAS**,  
Ergo fer huc dotes officiosa tuas.



Sic ego, Sic Erato: Nostro dignissimus ille est  
Officio, nobis ille canendus, ait.  
Sic de me meruit, sic illi plurima virtus,  
Claraq; nobilitas contulit omne decus.  
Sed neq; virtutum, quibus est ornatus, honorem,  
Nec grauis euoluam nobile stemma viri.  
Qui sit enim, tum vita probat, tum fama celebrat,  
Ut praecone ipsi tam nihil esset opus,  
Quam suspensa hedera, cui sunt bona vina, tabernæ,  
Inuenit emptorem merx proba sponte suum.  
Nostrarum tamen illa canet quaecunq; sororum,  
Grandibus vsa modis, & grauiore pede.  
Ipsa leues Elegos, castis & amoribus aptos  
Vfurpo: gracili nam pede gaudet Amor.  
Nomen Amoris ego teneo, mihi carminis illi  
Materiam praebent, quos Amor æquus habet.  
Ergo Erato dictante feras Hymenæon Iona,  
Votaq; pro thalamo concipiente tuo.  
Vota damus sponso felicem optantia tædam,  
Grata Deo, euentu non caritura suo.  
Prima creatori dicatur gratia summo,  
Cunctorum auctori, quæ bona mundus habet.  
Optima qui nostros semper largitur in vsus,  
Optatam Sponsam qui tibi Sponse dedit.  
Quantum & quale bonum tulit hic, cui contigit vxor  
Cara Deo, & mores propter amata viro?  
Antè quidem felix poteras cuicunq; videri,  
Et multa, fateor, dote beatus eras.

Multa



Multa tibi natura dedit, fortunaq̄ multa,  
Et labor, & studiū feruida cura tui.  
Est aliquid gentis ramos per mille vetustæ,  
Nobile laudata ducere stirpe genus.  
Et magnos censu titulos æquare paterno,  
Remq̄ tenere, domos, iugera, prata, greges:  
Et petere è siluis, & aquis, auracq̄, palatum  
Quod iuuet, & carpat deliciosa fames:  
Suauiter esse, sitim dulci restinguere potu,  
Dormire & placidè mollia strata super:  
Tum florere opibus, cognatis, atq̄ potentem  
Esse clientelis, esse sodalicis:  
Diligi, honorari, gaudere, valere, iocari,  
Tristibus & curis dicere posse vale:  
Est aliquid, longeq̄ quidem præstantius illis,  
Quæ sunt fortunæ, corporis atq̄ bonis,  
Inculpata piæ traducere tempora vitæ,  
Et sua cum dictis facta probare Deo,  
Nosse viam in cœlum rectam, æternæq̄ salutis  
Causam vnam meritum credere Christe tuum.  
Nullius erroris vestigia deuia, sectæ  
Dogmata nullius pernicioosa sequi.  
Tum genus amplecti viuendi tale, quod omnes  
Sponse tua dignum nobilitate probent,  
Nempe tuum pulcras animum coluisse per artes,  
Diues & æternis pectus habere bonis,  
Vnde velut locuplete penu depromis ad vsus  
Communes, quod res postulat, atq̄ tuos.

Tam.



Tam gaudes doctus, quam nobilis esse, priusq̃  
Doctrinae est, verum si fateare, decus,  
Splendida nobilitas, doctrina est optima rerum,  
In tam sublimem te locat vtra gradum?  
Vt meritò ingenti te nunc complexa fauore,  
Consilio vtatur Principis aula tuo,  
Adde quòd illustri fulgent tua nomina fama,  
In primis doctis suspicienda viris,  
Qui te admirantur, qui te reuerenter honorant,  
Ingeniumq̃ tuum semper in ore ferunt.  
Te magno in precio Princeps habet, auget honore,  
Et similes multos optat habere tui.  
Zopyros multos optabat habere Darius:  
At Zopyrus homo, dic age, qualis erat?  
Qualis in vrbe Sinon Phrygia fuit, arte doloq̃  
Cuius fatalem Troia recepit equum:  
Talis apud Persas Zopyrus, fraudis abundans,  
Prodebat regi qua Babylona suo.  
At non Zopyri, non arte placere Sinonis,  
Tu quaeris Domino vir generose tuo.  
Sunt aliae, Princeps ob quas te diligit, artes,  
Quae multum vt fructus, sic quoq̃ laudis habent.  
Quas te vernanti Musæ docuere sub æuo,  
Et quibus est etiam nunc tibi dulce frui.  
Præsidio quarum respublica nititur omnis,  
Ipsa quibus regitur curia, templa, domus.  
Est tibi multarum præclara scientia rerum,  
Nec vitæ ignoras vtile quod sit opus.

Illā



Illā tenes, quæ sunt ad mores apta regendos,  
Cognita, quæq̃ viri sunt sapientis, habes.  
Est tibi maturo prudens in pectore Nestor,  
Tu fidi partes Parmenionis agis.  
Consilijs dandis polles, & rebus agendis,  
Et multum lingua suauiloquente potes.  
Æquarum inprimis tibi trita volumina legum,  
Tu petis ex ipsis iura ferenda libris.  
Et tua nocturnam redolent responsa lucernam,  
Est studiij testis nox vigilata tui.  
Sic nullos refugis generosa mente labores,  
Culminaq̃ ingenio tendis ad alta tuo.  
Sunt bona præterea cultæ tibi plurima mentis,  
Quæ te commendant de meliore nota.  
Est pietas, est sancta fides, & pectus apertum,  
Quale decet nostræ gentis habere virum.  
Fronsq̃ serena, oculi placidi, moderataq̃ lingua,  
Et grauitas hilari comis in ore sedet.  
Hæc sunt, quæ propter te Saxo Elector honorat,  
Et te dignatur Sponse fauore suo.  
Ergo tot ornato donis, rebusq̃ beato,  
Dicet adhuc aliquod quis tibi deesse bonum?  
Nemo modò dicet, sed tempore dixerit illo,  
Cùm tibi nulla fuit nupta, nec vllus amor.  
Tunc non ex toto te duximus asse beatum,  
Defuit vxor amans cùm tibi grande bonum.  
Tale bonum, sine quo, focij D E V S autor amoris,  
Vitam agitare virum, tunc negat esse bonum,

B

Cùm



Cum noua terra, timor procul omnis, & omnia tuta,  
Et dominus terræ diuitis esset homo.  
Nunc quis in hoc mundi Senio, vitæq; periclis,  
Esse bonum tædis abstinuisse putet?  
Nam quotus est iuuenum, qui semper frigeat intus,  
Et gerat Idalia pectus inane face?  
Et quotus est, castæ fugiat qui coniugis vsum,  
Cuius non subeat multa pericla pudor?  
Grex Stygius nostræ vigilans in damna salutis,  
Qui studiosa odio corda pudoris habet,  
Circumiens nusquam cessat, captatq; pudicas  
Assiduè mentes insidiante dolo.  
Ipse vagam accendit flammam, & laxare suadet  
Libera non licitis fræna cupidinibus.  
Nec prius absistit, quàm corda oblita pudoris  
In scelus obscœnum, perniciemq; trahat.  
Nec sua degeneri cessat lasciuiam mundo,  
Hoc etiam petitur castus ab hoste pudor.  
Materiam affatim fœdi qui criminis offert,  
Et pura infestat pectora mille modis.  
Sexcenta occultat lenonum lustra malorum,  
In quæ turba falax præcipitanter eunt.  
Hic habitat Lais, sedet illic succuba Phryne,  
Hic prostat multis Thais abusa procis:  
Lollia non deest, Aurelia, Pippa, Citheris,  
Et Nice varijs sæpe petita viris:  
Flora capit iuuenes, Arbuscula perdit eosdem,  
Spurca pudicitiam vendit Origo suam:

Nunc



Nunc multæ Sodomæ sunt, impuræq; Gomorrhæ,  
Plurima nunc turpis templa Lupercus habet.  
Quæ meminisse piget, casto quæ singula versu  
Dicere, mens horret, frons rubet, ora stupent.  
Difficile est nunquam cadere in tot retia mundi,  
Difficile est tuta virginitate frui.  
Accedit Satanæ, & Mundo Caro tertius hostis,  
Quæq; in corrupta carne libido sedet,  
Tota scatens vicijs, nunquam melioribus vfa,  
Sueta quidem semper deteriora sequi.  
Quæ simul illiciti flamma calet intus amoris,  
Non bene conceptas excutit ipsa faces:  
Sed ductum Satanæ, mundiq; secuta procacis  
Illecebras, patrat dedecus omne Caro.  
Sic quando triplici Pudor oppugnatur ab hoste,  
Cui sine diuina nemo resistit ope:  
Quis non, quàm pereat, veniat prius obuius, hostes  
Et contra tales protinus arma paret?  
Arma, quibus victi Dæmon, Mundusq;, Caroq;  
Cedant, quæ flatus suggerit arma facer.  
Nempe Dei timidum pectus, reuerensq; pudoris,  
Turpia quod fugiat, quærat honesta sequi:  
Et secum exquirat, vetitum quid lege sacrata,  
Mandatum summi quid sibi voce DEI.  
Ergo Deum metuit, qui sponsam ducit honestam,  
Et legem, castos quæ iubet esse, colit:  
Et cauet, offensi ne se premat ira Tonantis,  
In cineres versus qua Sodomita fuit.



Si probat ille DEO sese, si numen honorat,  
Si scelera, & vitæ multa pericla cauet:  
Si satanæ fraudes, irritamentaq; mundi,  
Et carnis vanas efficit illecebras:  
Siccq; suum pectus præmunit, & omnibus exit,  
Quas Amor incertus ponit vbiq; plagas:  
Vicisti, & tutum tua te connubia præstant,  
Iam te solius coniugis vrit amor.  
Plaude tibi, & thalamum IONA promitte beatum,  
Qui ducta acquiris virgine tale bonum,  
Quod sit multorum præsens medicina malorum,  
Tota laboraret quo sine vita viri.  
Accedente tuis hoc munere dotibus vno,  
Quas tibi mille DEI dextera larga dedit:  
Iam tibi deesse nihil, socia nil pulcrius ista,  
Nec te credideris maius habere bonum.  
VRSULA sola tibi thesaurus maximus esto,  
Et sine ea, quod habes, nil iuuet esse tuum:  
Vrsula dulce decus, cui tu sis carus ocellus,  
Quæ sit liliolum, basiolumq; tuum.  
Adde quòd ingentes capiunt connubia fructus,  
Quales absq; bona coniuge nemo tulit.  
Nupta viro gignit natos. At munera quanta  
Sunt nati? Patri gaudia quanta ferunt?  
Tu verò in primis augendæ stirpis IONA,  
Atque tuæ curam nobilitatis habe,  
Ne generis præsci tibi, virtutumq; tuarum  
Hæredes desint, progeniesq; bona,

Quæ



Quæ se sic præstet, de qua sic fama loquatur,  
Vt tu te præstas, & modò fama canit.  
Tu generosorum titulo haud contentus auorum,  
Ex te, sponte tua quod facis, adde decus.  
Perge via cœpta, studijs cultissime Sponse,  
Maçte animi, Myfæ nobilitatis honor.  
In qua præ reliquis tua te doctrina celebrat,  
Quam laudem hoc tecum tempore rarus habet.  
Qualis erat Thuscis Mecœnas regibus ortus,  
Quem non tam clarum fecit equestre genus:  
Quàm quòd tam doctus, quòd doctorumq; virorum  
Tam vehementer amans, atq; patronus erat.  
Quodq; suos summo dignatus honore poëtas,  
Munifica semper fouit, & auxit ope,  
Augusto inprimis solitus vos reddere caros,  
Te Maro, te Teia Flacce canore lyra.  
Cætera turba ferat sibi sola ab origine laudem,  
Et generis iactet nomina nuda sui:  
Hic quodcunq; decus rigidis sibi quærat ab armis,  
Et quatiat forti bellica tela manu:  
Tu capis Aoniæ non horrida Palladis arma,  
Ipsius & cinctum Gorgone pectus habes.  
Tu placido gaudes studio, tu pacis honesta  
Ocia, quæ sequitur turba togata, petis.  
Tu dare consilium dubijs potes vtile rebus,  
Principibus magnis tu bonus esse Clytus.  
Ille foris studeat magnis clarescere factis:  
Tu patriam gaudes demeruisse domi.



Dum lepores alij, quid tu venare? lepores  
Eloquij, ingenij perfequeriscq; decus.  
Fœdâq; monstra fugas, & figis acumine mentis,  
Confodis inculto barbariemq; situ.  
Vidit vt hoc, istinc abiens Inscitia longè,  
Stulticia atq; pari dant sua terga fugæ.  
In quarum subiere locum, Prudentia, rerum  
Cognitioq;, animo munera parta tuo.  
Sunt quibus egregium semper potare videtur,  
Et palmam captant ebria turba mero:  
At tibi, quem studiij sitis insatiabilis vrit,  
Ebria Pierio pectora fonte madent.  
Tessera nunc multis, & luditur alea pernox,  
Aut teritur cupida chartula picta manu:  
Et tibi sunt lusus, sed culto pectore digni,  
Quales Nympharum sunt Heliconiadum.  
Mox etiam fœcunda tibi dabit Vrsula, possis  
Cum sobole vt dulci ludere multa pater.  
Ille quot in densis surgant sibi robora siluis  
Enumerat, nummos alter, & alter oues:  
Tu gemino sacras numeras in codice leges,  
Et tibi sit iuris cognita summa, facis.  
Sunt quibus est vel cura canum, vel maior equorum,  
Quàm nuptæ, est ipsis quæ graue visa iugum:  
Et tibi sunt catuli vigiles, acresq; Molossi,  
Et celer & fortis te quoque portat equus:  
Non tamen iccirco sociam fugis, esse quod ipsa  
Maius onus coniunx, quàm videatur honos.

Sed



Sed te iussa Dei, te sancti cura pudoris,  
Te iubet esse patrem posteritatis amor.  
Nam sine coniugio nulla, aut inhonesta propago est.  
Non vir, non mulier gignere sola potest.  
Nec Venus in multos veniat promiscua lectos,  
Nupta nec utatur pluribus vna viris.  
Vnam vni omnipotens Euam sociavit Adamo,  
Hos iussit multa crescere prole duos.  
Ergo duos idem quando vos iunxit amantes,  
Ut sit vos inter tertius, oro Deum.  
Ipse suo vestrum praesens alat igne calorem,  
Et det in alterno pectore certet amor.  
Fortunet tædas, & misceat vtile dulci,  
In quavis animum det quoque forte bonum.  
Tum quaecumque pijs certo Deus ore spondit  
Coniugibus, poscat lingua, fidesque ferat.  
Hæc precor, hæc clemens audit si numen, ut audit,  
Quanta feres voto munera Sponse meo ?

F I N I S.





Quam laetis voto manentis hinc meo  
Hac precor, haec clamat, haec inquit, vobis  
Coniugibus, polcat lingua, absque  
Tam patet, quod quisque deus ore  
In quibus annuum det quod forte bonum  
Formet carbas, & niteat velle dulci  
Et de in aethero portore curat amor  
Iosepho vestrum praesens alacris calor  
Vixit vobis, etiam, eto, deus  
Ego deo idem quanto vestrum, etiam  
Hos falsis malis crederet prole duos  
Vnam vobis, etiam, etiam, etiam, etiam  
Nuperque vobis, etiam, etiam, etiam, etiam  
Nec Venus in vobis, etiam, etiam, etiam, etiam  
Non va, non nunc, etiam, etiam, etiam, etiam  
Nam si de coniugio nulla, etiam, etiam, etiam, etiam  
Te super esse partem posteritatis amor  
Sed te in illa Deo, etiam, etiam, etiam, etiam

FINIS

6





18. Nov 1996

Nh 1217

ULB Halle 3  
001 600 079



TA → OL









IN NVPTIAS  
 Nobilis & Generosi Viri, virtute,  
 doctriñaque præstantis, Ionæ à  
 Zeschau, Illustris. Saxonix  
 Principi Augusto Electori  
 & c. à consilijs,

CARMEN  
 ADAMI SIBERI  
 ET  
 Christophori Schellenbergij  
 Annæbergensis.

ANNO M. D. LXXII.  
 IX. CALEND. IVNII.

L I P S I A E  
 Iohannes Rhamba excudebat.



14.

